



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BONAVENTURENSIS***NOVA DIOECESIS
CONDITUR IN COLUMBIA
EX VICARIATU APOSTOLICO BONAVENTURENSI

Ministerium apostolicum ab ipso Domino Nobis demandatum summa diligentia explicare innitimur, ut eiusdem salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant cunctasque efficaciter gentes. Idcirco Nos res disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, quorum interest audita sententia, haec statuimus et decernimus. Sedulam industriam Instituti Yarumalensis et catholicae communitatis prosperitatem plane agnoscentes, Vicariatum Apostolicum *Bonaventurensis* ad dioecesis dignitatem attollimus, eodem servato nomine, quam Ecclesiam deinde suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Caliensi, Congregationi pro Gentium Evangelizatione subiectae. Episcopalem porro sedem in urbe ponimus, quae Buenaventura appellatur, et ibidem templum, quod San Buenaventura dicunt, ad statum Cathedralis Ecclesiae evehimus. Cetera secundum leges canonicas temperentur. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Paulum Romeo, Archiepiscopum titulo Vulturiensem deputamus, facta facultate quempiam virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur. Contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tricesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri undevicesimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Antonius Macculi, *Protonot. Apost. s.n.*

*A.A.S., vol. LXXXIX (1997), n. 4, p. 244

© Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana